



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 111. Argumentum centesimum primum. Ex eo quòd insuper sit
contra officium boni Judicis, Medici, & Doctoris, quod Confessarius gerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

missa, valde probabilis est, vel saltem dispositio, seu plena conversio dubia. Est enim iustus & valde rationalis timor, ne conversio, seu contritio, vel non sit in voluntate, sed in sola cogitatione, vel solum in cordis superficie, non in intimo corde, nec cum plena, sed cum semiplena ad summum, & semifaucula non coincidenti voluntate, prout argumenta superiora demonstrant.

1190 Videri potest Epist. Pastoralis Illustr. D. Episcopi Catalaunensis, ad iuxta Diocesis Confessarios, data anno 1672. in qua sic: *Repetam hic quam possim fortissimè, quod toties ante dixi, nullatenus concedendam esse peccatoribus inveteratis temerariam & precipitatum absolutionem; at multum sparsim relinquendum medicandis vetustis illorum plagis; nec posse nos aliter agere, nisi omnino neglectam velimus illorum salutem, neglecta principia Religionis maximè inviolabilia, cum aperto rerum sanctissimarum abusu. Quid enim aliud, quam illas indignissimè tractant, & pudende profanationi Sacramentum exponunt, qui hoc conferunt personis tam male dispositis, ut sunt peccatores inveterati (sicut & consuetudinarii, citòque & facillè relabentes) & sanguinem Jesu Christi concredunt salaci illorum verbo, cui nec minimam rem temporalem tuò crederemus? Quo jure licet illi, qui pro tribunali adeò formidabili sedent, ut ibi non hominis exercent iudicium, sed Domini, absolute criminosis, qui semper in criminosis suis haerent? Quibus, juxta sanctos Patres, ludus est communitio pacis? Qui perpetuum faciunt poenitentiae & relapsus in peccata circumum, & qui consequenter in se ipsis jugiter circumferunt sententiam supremi Judicis: Non in vanum potestatem ligandi aequè ac solvendi nobis concessit Deus. Hanc autem dispensatam oportet, non quomodolibet; at juxta ejus voluntatem, quae est (teste Gregorio) ut Confessarius perquirat motus gratiae divinae in animabus. & neminem absolvat in terra, nisi quem per veram Deum compunctionem visitas, & quem in caelo sua reconciliatione & pace dignum iudicat. Eapropter omnino necesse est, ut in eis sit verus & supernaturalis conversionis motus, qui includat dolorem ac detestationem omnium criminum commissorum, & sincerum propositum. . . . An autem dici potest dolorem de praeterito, & propositum de futuro esse verum, ac plenum, dum poenitens se non emendat; at semper, ut canis ad vomitum, ad priora sua vitia revertitur? In confesso est quod Confessarius non possit ei credere, sine maxima imprudentia, & certo profanationis periculo. Hoc ut evites, miseris his poenitentibus absolutionem differat, & per bona illorum opera aliquamdiu (ex praescripto Evangelii) experiatur, bonane & firma sit eorum voluntas, donec explorando noscat vera fuisse promissa ex mutatione vitae, exercitiis virtutum contrariarum. & ex constanti usurpatione medicorum, quibus pravi habitus vinci queant. . . . Siqui adhuc sunt Confessarii, qui contrarià utuntur praxi, non aspiciantur, ut lex, aut exemplum; sed caveantur ut abusus summè perniciosus, maximèque contrarius spiritui Ecclesiae. Similia habet Illustrissimus D. Forbinus de Janfon, Episcopus Dinientis (modò Eminentissimus S. R. E. Cardinalis) in Epist. Pastor. anni 1660.*

CAPUT CXI.

Argumentum centesimum primum.

Ex eo quod insuper sit contra officium boni Judicis, Medici, & Doctoris, quod Confessarius gerit.

1191 **R**atio est, quia Judicis est secundum iudicium regulas iudicare; Medici secundum regulas medicinae; Doctoris secundum regulas doctrinae. Judicis proinde est secundum iudicium regulas dis-

cernere, an causa satis instructa sit ad iudicium ferendum. Medici, an aeger, secundum medicinae regulas, dispositus sit ad medicinam ipsi cum fructu applicandam. Doctoris, an ista vel illa doctrina bona sit, & conveniens discipulo, &c. Nec in istis iudex credere debet reo, Medicus aegro, nec Doctor discipulo. Alias rerum inventitur ordo, secundum quem testimonium rei in propria causa quoad hoc debet esse suspectum; nec iudex submittere se debet iudicio rei; sed reus iudicio Judicis. Iudex quidem sacramentalis à reo (utpote suis ipsius accusatore) discedere debet quid fecerit, & non fecerit; nec enim aliunde scire potest. Verum an ex factis, à reo in confessione expositis, refertur probatio sufficientis dispositionis ad absolutionem, adeò certum est, Confessarii, tanquam Judicis, esse ex principis artis suae iudicare, ut improbabile sit, atque (ut D. Bonaventura ait) *inauditum philosophandi genus*, asserere quòd Confessarius id à reo debeat dicere, & quoad hoc ipsi credere.

Neque id solum procedit de Confessario tanquam iudice, sed & tanquam Medico & Doctore. Nam, ut Eminentissimus Denhoffius §. 11. retulit ait, peccator recipiendae sanitatis causâ, ad Confessarium, velut animae suae Medicum accedit. Quemadmodum ergo Medicus corporalis ab aegro quidem dicere debet, quid in corpore suo sentiat, & quoad hoc ipsi credere; sed an id quod aeger sentit, curabile sit, & an corpus ipsius febricitet an non, & an hic & nunc dispositum sit ad hoc ut medicina ipsi proficua sit, Medici est ex medicinae regulis iudicare; nec quoad hoc aegro debet credere. Similiter ergo Confessarius, tanquam spiritualis Medicus, à poenitente discedere debet facta, ex quibus ferendum est iudicium de dispositione animae ipsius, & ipsi debet quoad illa credere: sed an facta illa satis ostendant ipsam liberam à febre spirituali, sive ab affectu peccati; vel an satis ostendant ipsam dispositam ad curationem spiritualem, seu absolutionem, Confessarii est ex principis artis suae, sive ex Theologiae regulis, Scriptura scilicet & traditione iudicare; nec quoad hoc poenitenti debet credere.

Denique sicut risu & explosione dignus ab omni-
1192 nibus estimaretur Medicus corporalis, qui in illis aegroti sui testimonio crederet, quotiescumque ratio manifesta in contrarium ipsi non apparet, ipsique medicinam applicaret, quando velle (contra communem quippe sensum) ageret, atque ex hoc aegrotum suum sapè occideret, medicinam indebitè applicando; sic risu & explosione dignus ab omnibus censeri deberet Medicus spiritualis, qui, in re simili, poenitentis, seu spiritualis infirmi sui testimonio crederet, quotiescumque ratio manifesta in contrarium non apparet, ipsique absolutionem concederet, quando vellent; quia per hoc ipsum spiritualiter impè occideret, in disposito absolutionem concedendo. Meritoque ipsi peccator in die iudicii exprobraret, quòd ipsi contra rationem, contra sensum communem, contra suae artis regulas credidisset. Deus quoque ipsi merito exprobraret, quòd, in hoc peccatorem audiendo, fidelis & prudens dispensator non fuisset pretiosi sanguinis Filii sui; utpote quem secundum divinam suam voluntatem, sibi per oracula Scripturarum, per doctrinam Sanctorum, & per ordinem divinitus institutum non dispensasset, secundum quem peccator, tanquam reus, sequi debet iudicium Confessarii tanquam Judicis, Medici & Doctoris sui, non contra.

CAPUT CXII.

Argumentum centesimum secundum.

Ex eo quod incredibile sit, Christum voluisse,